Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Christi ubique perhibent testimonium. Leo de cadavere non comedit, quia caro Christi corruptionem non vidit. Leo asinum non lesit, quia timor mortis auctoritatem predicationis non repressit. SEQUITUR.

Tulit ergo propheta senex cadaver viri dei et posuit illud super asinum, et reversus intulit in civitatem prophete senis, ut plangerent eum. Et posuit cadaver eius in sepulchro suo, et planxerunt eum: Heu heu heu mi frater, heu mi frater. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulchro in quo vir dei sepultus est. Iuxta ossa eius ponite ossa mea. Profecto enim veniet sermo quem predixit in sermone domini contra altare quod est in bethel, et contra omnia fana excelsorum que sunt in urbibus samarie. Prophetes cadaver viri dei tollit, dum ordo sanctorum patriarcharum mortem Christi oculis cordis sui prescribit. Super asinum illud ponit, dum future predicationi prophetarum et apostolorum iugiter intendit. Reuertitur, dum redemptionem mundi continua graciarum actione prosequitur. Infert cadaver viri dei in civitatem prophete senis ut eum plangant, quia ordo patriarcharum memoriam Christi in sanctam ecclesiam transmittit, ut eius passioni debitum compassionis omnes fideles exhibeant. Cadaver eius in sepulcro suo ponit, quia sacramenta passionis Christi in veteri testamento recondit. Sic eum plangunt, quia sic omnes electi et fideles ab initio usque ad finem seculi in recordatione passionis Christi ingemiscunt: Heu heu heu mi frater, heu mi frater. Tercio heu mi frater repetitur, quia a fidelibus ante legem, sub lege, sub gratia positis intimis gemitibus et suspiriis deploratur, quod filius dei per nostre carnis susceptionem pro peccatis totius mundi in cruce moritur. Quarto heu mi frater repetitur, quia conversa in fine mundi synagoga mortem sui redemptoris continuis lamentorum suspiriis prosequitur. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulcro in quo vir dei sepultus est. Iuxta ossa eius ponite ossa mea.

Dicit ordo patriarcharum per spiritum sanctum ordini prophetarum: Cum mortuus fuero, scilicet cum Christo redemptori in cruce confixus fuero, sepelite me in novo testamento. In hoc enim sepulchro vir dei est sepultus, quia in novi testamenti memoria Christus est repositus. Viri dei ossa sunt Christi mysteria, patriarcharum ossa sunt ecclesie sacramenta. Iuxta ossa prophete ossa senis ponuntur, dum in utriusque testamenti scriptura Christi mysteriis ecclesie sacramenta apponuntur. Profecto enim sermo veniet quem vir dei in sermone dei predixit, quia iota unum aut apex unus de veteris ac novi testamenti scriptura non preteribit, quam Christus per spiritum sanctum suis sacramentis instituit. Contra altare quod est in bethel, contra illum exteriorem cultum cerimoniarum legalium. Contra fana excelsorum, contra littere tegumenta que sunt operimenta celestium mysteriorum. Que sunt in urbibus samarie, que sunt in munitionibus sancte ecclesie. Munitiones enim sancte ecclesie sunt auctoritates veteris ac nove scripture, quibus ab incursu hostium fideles anime defenduntur, quibus hereticorum et omnium Christi inimicorum iacula repelluntur. SEQUITUR.

Post hec verba non est reversus hieroboam de via sua pessima, sed econtrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum. Quicumque volebat implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccavit domus hieroboam, et eversa est et deleta de superficie terre.

Post hec verba, scilicet post novi testamenti instituta mundo revelata, in quo filii dei sacramenta sunt manifestata, non est reversus hieroboam de via sua pessima, quia